



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 17. Principium 17. Primum in unoquoque genere est exemplar
cæterorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

§. XVII.

PRINCIPIUM XVII.

Primum in unoquoque genere est exemplar cæterorum.

Sensus.

Hoc est, quando in aliqua dispositione vel concessione dubitatur, quomodo sint facta, tunc si transcripta sint ab originali Forma, aut certè ad similitudinem aliorum collata, attendendum est, quomodo illa dispositio vel concessio, de qua dubitatur, in primo Instrumento vel Bulla vel utriusque Exemplari habeatur, & juxta illius tenorem etiam posteriora sunt explicanda.

Authoritas.

Desumptum est ex communi sensu Authorum, uti supponere videtur P. Gobat p. 2. thes. Indulg. n. 303.

Ratio.

Quia hoc ipso, quòd posteriora Exemplaria sint tantum quædam quasi imitatio primi Exemplaris, æquum est, ut ad normam illius etiam reliqua Exemplaria concessa aut facta esse intelligantur, nisi aliunde aliud constet.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Quando Indulgentiæ conceduntur per modum Jubilæi, intelligendum hoc esse de Romano (hoc enim est Exemplar cæterorum) & non de alio extracardinario, uti P. Gobat l. c. docet.

Deducitur 2. Quando certæ alicui Religioni communitatio Privilegiorum conceditur, inspicere debere Exemplar illorum, quibus primò concessum est privilegium, ut constare possit, quousque se extendat, & quomodo usurpandum sit hoc Privilegium, uti communiter docent Authores.

Deducitur 3. Etsi in aliquo Rescripto Pontificis non exprimitur hæc clausula: Si preces veritate nitantur: nihilominus tamen semper eam intelligi appositam, sicut in prioribus Exemplaribus apposita fuit, uti in cap. Ex parte 2. & cap. Olim de Rescriptis dicitur.

§. XVIII.

PRINCIPIUM XVIII.

Quæ sunt speciali notâ digna, non censentur esse ablata, nisi expressè nominentur.

Sensus.

Hoc est, quando aliquæ Gratia vel Privilegia specialia sibi sunt concessa, non censi debent eidem ablata esse, donec in Bulla aliqua derogatoriâ expressa talium Gratiarum vel Privilegiorum fiat mentio.

Authoritas.

Desumptum est ex communi Doctorum sensu, ut testatur Gobat p. 2. thesaur. n. 261.

Ratio.

Quia per clausulam generalem non satis ostenditur, velle Pontificem aut Principem revocare hujusmodi Privilegia specialia & aliunde non præsumitur eos adimere velle favore speciales aliquibus concessos, nisi graves ad hoc faciendæ causæ impellant, quas tamen non habuisse supponendum, si specialem eorum privilegiorum mentionem non faciunt.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Indulgentias plenarias pro articulo mortis, & pro Defunctis non esse à Paulo V. in Constitutione anni 1606. edita revocatas, cum illarum expressa mentio in Bulla illa non fiat. Ita P. Gobat p. 2. n. 548. cum Diana, Lezana, & aliis.

Deducitur 2. Easdem Indulgentias neque per hanc Formam (revocamus, annullamus, cassamus omnes & singulas Indulgentias, quibuscunque Ordinibus, ac Personis sæcularibus, aut Regularibus quovis modo concessas, confirmatas, aut innovatas) revocari, uti probabiliter docent Lezana, Ferrarius, Alphonsus Leo, Peirinus apud & cum P. Gobat p. 2. n. 620. & seq.

Deducitur 3. Privilegia Religionibus quibusdam cum clausula (quoties literæ revocatoria emanabunt, toties restitutum & validissimum statum restitutas, repositas, & plena-